

**Grey Scale #13**

R G B WH GR BL

A 1 2 3 4 5 6 M 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

DANES-PICTA .COM

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19




**Colour Chart #13**


Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

DANES-PICTA .COM



XVI, 31-42





MARTINI  
CROMERI SERMO DE  
TVENDA DIGNITA  
TE SACERDOTII  
PETRICOVIAE  
IN SYNODO  
HABITVS.

*Cromer*  
*Cromer*



*Cromer 1542*



*XVI, 42*

11  
MAY 1771

COMMONS OF GREAT BRITAIN

IN PARLIAMENT ASSEMBLED

THE PETITION OF


THE PETITIONERS

IN SHANTON

SHANTON

VS

...



1771

SO AMPLISSIMO PRINCIPI ET DOMINO, PETRO GAMRATHO, DEI GRATIA Archiepiscopo Gnesneſi, Legato nato, Primate Poloniæ, & Ep̄o Cracouiensi, patrono suo beneficentissimo, Martinus Cromerus  
S. P. D.

SERmonem, quem te authore Antistes amplissime, in synodo nuper abs te coacta habuimus, de tuenda dignitate sacerdotij, multis efflagitantibus, & ipso te authore in lucem edimus, omnibus penè oratorum fucis & ornamentis nudum: cum quod maxime talem esse conuenit veritatis orationem, tum quod tempori & auditorū ingenijs seruiendum fuit: & ut verum fatear, nostra hæc aulica scribens

A ij di con

suetudo me natura tenuē, magis etiā  
limauit. Ad hec autem ocio neq; tunc  
abundabamus, neq; etiam nū abunda-  
mus: quo sane opus est ei, qui ornate  
quid & copiose dicere velit, aut scribe-  
re præserti de rebus tātis tamēq; varijs  
Sed hoc accipiat, vt quisq; volet. Mi-  
hi satis erit, si res necessarias vulgo sa-  
cerdotum, non ineptissime videbor  
esse psecutus. In re si quid forte offen-  
di, tuum id erit præstare Antistes o-  
ptime, qui mihi author ad id fuisti,  
mēq; tuendum & ornandum suscepi-  
sti. Eidem autem tibi curę in primis  
esse debet, vt omnes sacerdotes, quo-  
rum tu princeps es in his oris, & e-  
xemplo tuo moniti, & autoritate ad  
acti dignitatē suā, secūdū præscriptū  
hoc nostrū (si mō rectū id est, quē ad-  
modū tu iudicas) tueāt: quē nos vnū  
longe vberimū nri huius laboris  
fructum expetimus. Vale.



# ☞ MARTINI

## CROMERI SERMO DE TUENDA DIGNITATE SACERDOTII PETRI COVIÆ IN SYNO DO HABITVS.



☞ Larissimus hic dies illu  
xit, patres amplissimi, &  
bonis om̄ibus pijsq; exor  
ptatus, q̄ ex diuersis & lō/  
ginq; oris, principes religionis, &  
flos ex omni cœtu sacerdotum in hūc  
locum conuenistis, de sacri ordinis ve  
stri dignitate tuenda, & incolumitate  
stabilēda, decq; pietate que iacet pro  
dolor afflicta & profligata, in animis  
hominū excitanda. Quibus de rebus  
cū sermonem apud vos initio de mo  
re haberi velitis, vereor magnopere

A in vt 14

vt iustam impudentiæ reprehensio-  
nem euitare queam, quod sacris non-  
dū initiatus apud sacerdotes, iuuenis  
apud viros grauissimos, imperitus  
apud eos, qui & doctrina, & vsu rerū  
maximarū præstant, de rebus maxi-  
mis verba facere productus sum. Sed  
non potui recte auctoritatem eius, q̄  
huic sacro conuentui præest, principis  
mei beneficētissimi defugere. Ad hæc  
aut̄ studium pietatis, quo ab ineunte  
pueritia semp̄ flagraui, me ad eā pro-  
uinciam quāuis grauem, suscipiendā  
inuitum pene impulit. Tamen in bel-  
lo quoq; non imperatores, non lega-  
tos, non centuriones, non veteranos  
milites, ac ne tyrones quidem, sed im-  
belles & ignauos tubicines classicum  
canere ac tubarum, tiliarū, tympano-  
rumq; sono instructas acies ad preliū  
excitare, aut vero inermes lixas & ca-  
lones cla-

Isēs clamore id facere solere animadu-  
uertimus. Quo fit, vt mihi in re haud  
multo dissimili veniam dūtaxat à vo-  
bis patres amplissimi datam iri con-  
fidam. Dicam autē q̄ potero paucissi-  
mis, primū de dignitate sacerdotij: Sa-  
cerdotum autē nomine vniuersum or-  
dinem sacrum, summos pariter cum  
imīs cōplectar: deinde quibus rebus eā  
dignitatem quemq; tueri oporteat.  
Quod dum perago, quāso vt me di-  
centem patres amplissimi benigne au-  
diatis. Fuerunt igitur & apud priscos  
mortales, falsorum deorum cultores,  
summo in honore sacerdotes, deo-  
rum interpretes, sacrorum & cere-  
moniarum magistri: summaq; pe-  
nes eos potestas erat, quippe qui nō  
reges essent. Vnde est illud poeticum.  
Rex Anius, rex idem hominū Phœ-  
biq; sacerdos.

A iiij. Ne

Nec licebat regem esse, vt est apud Pla-  
tonē, qui sacerdos non esset. Hodieq;  
adeo apud eas gentes, quę Mahometi  
impietatem sectantur, & si non reges  
certe arbitri regionum iudiciorū atq;  
consiliorum esse dicuntur sacerdotes.  
Sed nō de his institutus est nobis ser-  
mo. Sūma fuit & apud Hebreos veri  
dei cultores sacerdotij dignitas. Sed  
nihil ad rhombū, vt est in veteri pro-  
uerbio. Apud illos enī vmbra fuit, &  
tenuis quedā quasi carbone deliniata  
imago sacerdotij, apud nos verum  
est sacerdotium: Cuius authorem  
atq; principem habemus CHRIS-  
TVM HIESVM, Deum  
atq; hominem, qui sacerdos est in æ-  
ternum secundum ordinem Melchi-  
sedech, spiritu sancto à deo patre viu-  
ctus: qui inter innumerabilia atq; im-  
mensa amoris erga nos sui monumē-  
ta, nullū

ta, nullum maius, nullū præstantius,  
nullū admirabilius nobis reliquit sa/  
cerdotio. Etsi enim semel ipse omni/  
no introiuit in sancta sanctorū, ætera/  
na nobis redēptione inuenta, tamen  
quia quædie omnes labimur, deumq̄  
offendimus, hos nobis, sacerdotes in/  
quam, pro se præsentēs medicos, opi/  
feros, deprecatores, pacificatores, vite  
moderatores & quasi terrena quædam  
numina semper adesse voluit, tradita  
ipsis potestate ligādi atq̄ soluēdi oīa  
in terris & in cœlis : vt paratū semp  
in malis, quæ plurima vitam nostrā  
infestāt, auxilium haberemus. Nem/  
pe vt ij, & deū nobis placarēt, & nos  
deo adiungerent, illud orando & sa/  
cris operando, hoc docēdo & miste/  
rijs iniciando. Itaq̄ ergo insignibus ti/  
tulis eos ornavit, & amplissimis lucu/  
lentissimisq̄ muneribus locupletauit.

A v. Nam

Nam & pastores eos cō muni cum re  
gibus nomine (pastores em̄ populorū  
olim reges dicebantur) & sal terrarū, &  
amicos fratresq; suos, & lucem mū  
di, sua omnia cū eis cōmunicans, nun  
cupauit: & vero super familiam, atq;  
super oīa bona sua constituit, clauēsq;  
regni cœlestis, & claritatem eam, quā  
ipse à patre accepit, dedit eis. Spiritus  
qui etiā sanctus in diuinis scripturis  
apostolorū, angelorū, ministrorū ver  
bi dei, Christorū, ac deorū deniq; no  
mine eos dignatus est: dispēsatorēsq;  
mysteriorū dei, cōciliatores ac pacifi  
catores dei & hominū, & p̄cipes sup  
omnem terram constituit. Cogitate  
mihi quæso patres, etiam atq; etiam,  
quanta sit vestra ista dignitas, & sup  
bos ducum, imperatorū, regum, cæsarū,  
semper augustorū, felicium, pio  
rum, victorum, triumphatorū, domito  
rum orō

rū orbis, patrū patrię, & nescio quos  
nō titulos cū vestris cōparate: omnes  
honores mundanos, omnia munera,  
& magistratus in vnam lancem con/  
gerite, ex aduerso autē sacerdotiū poni  
te, iustāq; & exacta trutina expendi  
te; videbitis proculdubio infinitis par  
tibus vestrę functionis præstantiam  
præponderare, leuiāq; ac ludicra esse  
omnia, quę summo studio ab homini  
bus in hac vita expetūtur, præ sacer  
dotij dignitate. Etenim sacerdotiū in  
terra quidem peragitur, sed in rerum  
celestiū classē ordinemq; referendū  
est, vt inqt Chrysostrōmus. Et nescio  
nū angelorū etiā & omniū celestiū  
beatarumq; mentiū excellentiā sacer  
dotij dignitas superet. Quę enim pur  
rissimæ illæ mentes tremebūdā adō  
rāt deū atq; hominē Chrīn Iesū, hūc  
quiuis sacerdos, quoties vult de celo  
deuocat

deuocat, mortalibus manibus familia  
rit' attrahat, & in viscera sua aliorūq;  
trāsmittit. Spiritū quoq; sanctū pari,  
imo vero eadē cū p̄re filioq; potesta  
te ac diuinitate, in quem iſdem illi an  
geli ardent prospicere, sola manus im  
positione qbus vult largit'. O immē  
sam dei bonitatem, o excellentē sacer  
dotij p̄statiā o admirabilem sacer  
dotum potestatē. Quem cœli & terra  
cōpredendere nequeunt; cui luna, sol  
& stellæ omnes seruiūt; cui omne ge  
nu flectitur, cœlestiū, terrenorū parit'  
& inferorū, hunc homo, vilis & eua  
nidus puluisculus, mendicus regē, ser  
uus dominū, opus opificem pauculis  
verbis adactū quodammodo arbitrato  
suo tractat, circūfert, distribuit, & sa  
lute vitæq; æterna quos vult imperti  
tur: quando eum dat sine quo salutem  
vitamq; habere nemo potest. Quid  
hoc am



hoc amplius? quid præstabilius? quid  
diuinius humano generi a deo optio  
max. dari potuit? Dñi quidam profes  
cto carne & ossibus vestiti videri de  
bent sacerdotes. Et fuit sane apud ma  
iores nostros ea persuasio, vt qua do  
mo sacerdos receptus esset, quasi deo  
ingresso, omnia in eam domū bona,  
omnesq; felicitates accumulātū, iri cre  
derent. Itinera atq; negotia omnia  
prosperè euētura existimabantur, qui  
bus sacerdos interuenisset. In foro, in  
compitis, in angiportis, in vñs viso  
sacerdoti passim apud Christianos po  
pulos occurrebatur, acclamabatur,  
ad genua etiam pedesq; procumbes  
batur. Vnde mos inoleuisse credi  
tur, ferendæ crucis Episcopis: vt ne  
sibi, sed CHRISTO eū honorē ha  
beri putarēt: vtq; meminissent, cuius  
essent vicarij. Sūma quidē certe erat  
vbiq; re

vbicq̄ reuerentia sacerdoti non modo  
apud vulgus hominū, sed & apud pri  
cipes, & summos monarchas: nō mo  
do priuati sed et publice: nec apud su  
os modo, sed & apud hostes. An eni  
nō legimus Constantinū magnū im  
peratorem sacerdotum iudicia à se re  
iecisse, qđ eos à solo deo iudicari, aut  
inter se duntaxat cōtrouersias suas di  
sceptare oportere diceret. Lōge aliter  
q̄ nunc fit nonnusq̄: vbi profani ho  
mines sacerdotū proscribendorū, ne  
dū iudicandorū, potestatē indignissis  
sime sibi arrogant, aut verius à sacerdo  
tibus ipsis (liceat enim verū dicere) cu  
pidis & ambitiosis cōcessam, ne dicā  
obtrusam, non recusant. Vbi cernere  
est preclarum scilicet spectaculū. Cita  
tur à truculēto apparitore reus sacer  
dos: Comparet: adstat coram seuro  
& odio sacerdotum inflāmato iudice,  
quasi

quasi agnus corā tondente, & sicuti  
CHRISTVS meus corā Herode,  
aut Pilato: Prodit in mediū trux quis  
piam ac deformata cicatricibus facie  
accusator: accusat reū acriter & contu  
meliose appellat, proferuntur qualia  
qualia testimonia: Stat interim reus  
demisso capite: Si quid respondere  
ipse pro se (Nā & hoc cauetur, ne qs  
eū defendat) si quid ergo respondere  
pro se incipiat, appositi sunt, qui eum  
strepitu & clamore excipiant atq; per  
turbent, in totū ordinē sacerdotū in  
digne debacchantes. Aestuat ille, & in  
omnes partes sese versans, tantū non  
funesta illa verba iudicis expectat: I li  
ctor, colliga manus, caput obnubito,  
arbori infelici suspendito. Sed tamen  
mitiori fine iudiciū terminatur, sola  
scilicet proscriptione. Et cū his factis  
atq; legibus videri volumus Christia  
ni

ni. Sed aliò, quã institueramus, impe-  
tu quodã nostra profecta est oratio.  
Ad rem igit̃ redeo. Maximũ sane ho-  
norẽ pientissimus ille imperator, Cõ-  
stantinus inquã, habuit sacerdotibus.  
Quid Theodosius cũ propter admis-  
sum temere facinus templi ingressu  
ab Ambrosio Mediolanẽ Archiepi-  
scopo prohiberetur, ac deinde impe-  
trata venia admissus, ab Archidia-  
co eiusdẽ ecclesiã ab sacraciorẽ parte  
templi depelleretur, nonne mansuetis-  
simo & equissimo animo paruit? An  
non legimus furentiũ & caste religi-  
oni infestorũ regum ferocitatẽ à Ba-  
silio Cappadocũ Episcopo emollitã?  
De quo præclare & illud Gregorius  
Nazanzenus, vnã sibi salutem popu-  
los duxisse sub ipso & cum ipso esse:  
vnũ periculũ, ipsi aduersari: & à deo  
se alienos existimauisse, si ab illo dis-  
sentirent

sentirent. Quid Leo Romanus ponti-  
fex? Nonne Attilam Hunnonū regē  
barbarū infestissimo animo ad oppri-  
mendā & euertendā Italiam cū exerci-  
tu contendente, aspectu & oratiōe so-  
la repressit & auertit? Fuit, fuit sum-  
ma quōdam sacerdotū dignitas: quæ  
nostro seculo proh dolor in cōtrariū  
plane recidit. Quāobrem? Quia re-  
cte illi dignitatē suam tuebātur: Nos  
nō modo nō tuemur, sed fortassis ipsi  
etiam deprimimus. Quibus ergo re-  
bus tueri eam nos oportet? Dicā pa-  
tres amplissimi, q̄ fuit altera pars ins-  
tituti sermonis nostri. Nec nimium  
vos remorabor: vos quod fecistis ad-  
huc, equis auribus atq; animis queso  
attendite.

Quid igitur est, quo hāc ipsam digni-  
tatē tueri debemus? Num stipatorū  
& satellitū p̄euentiū & subsequentiū

B      longa

longa agmina? equitūq; turme auro  
& argēto aspicientiū oculos perstrin-  
gentes? Num tubę, tibie, atq; tympa-  
na? num laxę, molles, & preciose ve-  
stes? num regales, seu potius pontifi-  
cales mensarū apparatus apud priscas  
gentes celebrati? Num generis clari-  
tas, & nouę istę de non recipiēdis ple-  
beis ad primarias ecclesias cōstitutio-  
nes, virtuti viā precludentes, & cum  
verbo dei, nisi fallor, pugnantes? num  
intolerabilis iste fastus, qui in templa  
dei, ad aras, & ad ipsum vsq; sacrosan-  
ctū humilis & mitissimi CHRISTI  
IESV sacrificium nuper proh pudor  
irrepsit? Num profusa largitio? num  
gratia principum? nū spes beneficij?  
An vero pecuniarū & cupide ac iniu-  
ste quesiti, & sordidi miseręq; cōclusi  
cumuli? An vero terror, carcer, vīn-  
cula, verbera, rogas, ac om̄is suppliciij  
metus

metus hominibus propositus? Nihil horum sane. Alioqui multo amplior esset nostri tēporis sacerdotum dignitas, q̄ priscorū illorum fuit. Longe em̄ hęc in nobis exuberāt, quę in illis exigua, aut verius nulla extiterūt. Quę cum partim inuidiosa, partim odiosa sint, nescio an magis etiam dignitatē eorum, qui his abundant, labefactent. Veram quidē certe ac stabilem beneuolentiam, quę optima est cōciliatrix & custos dignitatis, non parant. Sed fuit in priscis illis sacerdotibus morū sanctimonia, puritas vitę, mirū pietatis studium, ardens in deum amor, incredibilis charitas proximi, & recto iudicio librata in omnes beneficentia. Nō indocti ac dissoluti iuuenes, atq; pueri, aut pueris nō minus, inepti senes à profanis negocijs, vilibusq; ac etiam turpibus interdum obsequijs

Bij principum

principum ad sacerdotiũ aspirabant:  
Non precibus, precio, vi atq; potentia  
irrumpebant: Non malis artibus sese  
ingerebant: Non propinquorum ac  
necessariorũ ope atq; peruerso studio  
intrudebantur: non deniq; magister  
quisquã prius fiebat, q̃ fuisset discipu-  
lus: Nec ad regimẽ admovebatur, qui  
subesse prius ipse nõ didicisset: At vi-  
ri graues & maturi, qui doctrinã pa-  
riter, atq; innocentiam suam omnibus  
ab ineunte etate probauissent, a colle-  
gio sacerdotum, approbante populo  
rite & religiose in eum ordinẽ coop-  
tabantur, atq; e latebris, & ex mona-  
sterijs ac cœnobijs, que tũ scholę erant  
pietatis & religionis, inuiti ad sacer-  
dotiũ protrahebantur. Cernebant il-  
li nimirũ, quã graue onus esset sacer-  
dotiũ. Neq; ad ociũ, aut ad commodũ  
vllũ suum, fastumq; id ambiebant: sed  
obtru



obtrusum propter deū, volentem atq;  
iubentem, vt qui ipsum diligeret, pas-  
ceret oues ipsius, metuq; pœnæ talenti  
absconsi non obstinate recusabāt. Cuius  
rei præclara habemus exempla in  
Basilio & Chrysofomo. Itaq; & po-  
pulus, quemadmodū par erat, de talibus  
existimabat: eos qui sic per ostiū  
ad sacerdotiū ingressi essent, non fures  
aut latrones, mercenariosue, sed pa-  
stores futuros: neq; suis cupiditati-  
bus seruituros, sed ad gloriam dei &  
populi salutem cōsilia & actiones om-  
nes suas relatuos. Et respondebant  
sane illis talibus initijs, hominūq; ex-  
pectationi consequentia. Nam tota  
vita publice quidem in sacris pagens-  
dis, docendo & exhortando populo,  
moribus corrigendis & propagāda  
quoquo versus religiōe, priuatim ve-  
ro in præcatione & meditatione rerū

B iij diuinas

diuinarū, & assidua sacrae scripturae le-  
ctione ipsis cōsumebatur, ita vt preca-  
tioni lectio, lectioi precatio vicissim  
succederet. Neq; vero quisq; aditu pro-  
hibebatur, quicumq; vel cōsiliū, vel au-  
xiliū quid rebus suis expetitū venisset.  
Sōnus, cibus, potusq; modice, & non  
ad voluptatem aut facietatē sed ad ne-  
cessitatem tantū sumebatur. Ludos,  
lulus, atq; ociū omnino perinde atq;  
pestem fugiebant. A mulierū cōtuber-  
nio & cōsuetudine, ac familiari secre-  
toq; colloquio etiam earum, in quas  
propter arctam propinquitatem nis-  
hil suspicionis caderet, procul se sum-  
mouebāt: tantum aberat, vt quippiā  
rei earum arbitrio gererent. Aulas  
profanorū principū, tanq̄ corruptelā  
morum, & infames Sirenū scopulos  
Circeasue domos vitabant, ne qbus  
illecebris, quarū ibi regnū est, irretiti,  
aut ve

aut venenis quibusdam ac prestigijs  
in beluas mutati hærerent, néue quid  
indecorũ, quo dignitatem suã minu-  
erent, facere, loquiue cogerentur: Nec  
in conspectũ principũ veniebant, nisi  
vt eos à prauis, iniustis atq; pernicio-  
sis cõsilijs & conatibus dehortarẽtur,  
ad rectos, iustos, & salutare, adhorta-  
rentur: aut afflictis viduis & pupillis  
vt adessent: aut rei cuiuspiam suppli-  
cium vt deprecarentur. Inde crescente  
paulatim pietate, omnibus de Repu-  
cõsilijs, iudicijsq; principum adhibe-  
ri cœpti primores sacerdotes, nõ tam  
vt cõsiliarij ac iudices, vt mea fert opi-  
nio, quã vt horũ arbitri: qui attende-  
rent, ne quid forte per imperitiã aut  
imprudẽtiam Christianę professiõis  
repugnãs decerneretur. Neq; hoc illi  
modo curabant, vt ipsi domi forisq;  
innocenter sancteq; viuerent: sed ita

præerant familiæ suæ domesticæ,  
quæ non assentatoribus, non scur/  
ris, non lenonibus, aut vllis volupta/  
tum architectis, non nepotibus & hel/  
luonibus, non scortatoribus, aduulter/  
ris, & expugnatoribus pudicitie, non  
militibus, non barbaris seruis & stis/  
gmatijs, verum pñs & religiosis ho/  
minibus & sacerdotio destinatis, atq;  
etiã sacerdotibus constabat: ita inquã  
ei familię præerant, vt nihil in ea esset  
reprehensibile, secũdum præscriptum  
diui Pauli: Propterea q; in se redun/  
daturum esse iudicabant, quicquid ea  
peccauisset. Neq; vero aut musicis  
symphonijs, aut obscœnis & meretri/  
cijs cantilenis, aut impudicis sermo/  
nibus, aut mimorum & scurrarũ di/  
cacitate & petulantia, aut morionum  
ineptijs mensę ipsis cõdiebantur: Sed  
à deo, & precatone, & gratiarũ acti/  
one

one communi & sonora inchoatæ  
partim religioso silentio & sacrae le-  
ctionis auscultatione, partim sobrijs,  
pijsq; & eruditjs colloquijs ductæ &  
peractæ, nō absimili exordij sine clau-  
debantur. Paucissimis cōtenti, omnia  
egenis delargiebātur, hos solos veros  
certosq; thesauros suos rati; ita vt fu-  
erit, qui cū nihil haberet reliqui, ipse  
redimendorum captiuorum causa ser-  
uituti se mancipauerit. Hinc fiebat, vt  
non inhiarent sacerdotum facultati-  
bus profani homies, ita vt nostra tē-  
pestate faciūt; sed omnes omnia ipsis  
aggerebant, venditisq; possessionibus  
ad pedes sacerdotum pecuniam affere-  
bant, vt ab ipsis inter pauperes pro  
cuiusq; necessitate distribueretur. Suc-  
cessu deinde temporis inualecente re-  
ligione, cum cedium, proscriptionū,  
direptionū bonorum, metus sublatus

B v      esset

esset, possessiones etiã & agri, regio-  
nesq; totę sacerdotibus, vtpote pru-  
dentibus & fidelibus dispensatoribus,  
a pijs hominibus attribui cœpere, vt  
esset perpetuo, non vnde ipsi luxu &  
voluptatibus diffuerēt, aut scorta &  
parasitos alerēt, aut vero propinquos  
suos ditarent: sed vnde ministri eccles-  
ię alerentur: vnde ad templorũ instau-  
rationes & ad vsus egentium suppedi-  
taretur: vnde captiui deniq; redimerē-  
tur. Puerorum etiã atq; iuuentutis e-  
ducandę & instituendę curam in pri-  
mis habebant, summaq; diligentia &  
magno impendio prouidebant, vt in  
scholis vbiq; & in ludis literarijs pu-  
blice docti, probi, ac diligentes magi-  
stri & formatores iuuentutis essent,  
qui literis pariter & bonis moribus,  
rectisq; de fide & religione opiniõ-  
ibus teneram illam etatem, tanquã ruz-  
dem

dem lanam, tingerent. Non parum enim, sed plurimum sane interesse iudicabant, quibus præceptis rudis illa ætas, & ad omnia flexilis imbueretur: propterea quod per omnem vitã ea tenacissime inhereret hominibus, & in naturã quodammodo abeunt, quibus à pueris assueuerunt. Itaque recte illi dignam se eam curam esse existimabãt. Denique omnia quasi dii quidã salutares ad salutem hominum referebant, laudis humanæ negligentes, & commodorũ suorum prorsus oblitũ. Ex quo contẽptu pecunię, voluptatũ, honorũ, laudisq; singularis quædam fiducia & libertas oratiõis in ipsis existebat. Peccãtes principes & monarchas, nedum priuatos, libere & aperte arguebãt, obiurgabant, increpabãt, dira denique execratione percellabant, opportune & importune, tempestiue & intem.

et intempestiue. Nec offendere eorū  
voluptates dubitabant, quibus nullo  
beneficio obstricti essent, à quibus ni-  
hil sperarent, nihil metuerent. Quid  
autem formidaret is, qui omnia vilia  
atq; nihili præ CHRISTO duceret?  
mortemq; in lucro deputaret? Hinc  
non admirationi modo, verumetiam  
terrori erant tyrānnis & carnificibus  
suis: quos pudebat, illorum constātia  
& tolerātia crudelitatem suam vinci.  
At ne tū quidem deerant sacerdotes,  
qui hoc indigni essent nomine & ho-  
nore, quiq; dedecori essēt toti ordini.  
Fateor. Sed minus multi atq; nunc:  
Neq; ñ probra sua gloriabundi iacta-  
bant. Neq; palam prostituto pudore  
delinquebant, & non tam peruicaci-  
ter & maliciose in præcogitata ꝛac diu  
deliberata facinora sese præcipitabāt,  
quā per imprudentiā & humana fra-  
gilitate



gilitate labebantur, deo permittente,  
vt condolere nossent ijs, qui inscien-  
tia & errore peccabāt, cum & ipsi in-  
firmitate essent circumdati. Et tamen  
non deerat medicina. Agebantur cre-  
bri & frequentes conuētus, siue syno-  
di: vbi perquisita diligenter vicia sa-  
cerdotum, iusta animaduersione coer-  
cebantur, mores in deterius labentes  
corrigebantur: errores in fide & he-  
reses nascentes etiamdum cōfutaban-  
tur, & radicitus extirpabantur: ritus  
atq; cerimonie sacrorum institueban-  
tur: inter litigantes ac dissidentes pax  
& concordia componebatur. Quid  
igitur mirum, si nūc tam contemptū  
ac propemodum abominabile vulgo  
est sacerdotium: quando omnia hæc,  
que priscos illos venerandos & admi-  
rabiles faciebant, in nobis desideran-  
tur. Nemo officium suum facit, ac ne  
norunt

norunt quidem pleriq;. Omnes cultu  
diuino & hominum nobis commen  
datorum salute neglecta, bonis pau  
perum & patrimonio CHRISTI  
flagitiose & indigne abutimur, & in  
vicarios munera nostra reijcimus :  
atq; vtinam in ijs tamen delectum ali  
quem probitatis atq; doctrine habe  
remus : vtinamq; ij non alios porro  
pro se vicarios subiicerent. Et quod  
peius est, eo ventum est, vt nos sacer  
dotes esse, haberi, diciq; pudeat. In o  
ne scelerum & flagitiorum genus pu  
dore omni metuq; profligato proie  
cti sumus; & peccata nostra, quemad  
modum Sodoma, predicamus. Quid  
mirum si contemnimur, vexamur, ex  
agitamur, diripimur, & exhibimur  
passim; atq; nostris quidem odio, he  
reticis vero ludibrio sumus. Recessi  
mus de via & plurimos offendimus.  
in lege

in lege: Irritum fecistis pactum Leui,  
dicit dominus exercituum per Mala-  
chiam: propter quod & ego dedi vos  
contemptibiles & humiles omnibus  
populis. Mittam in vos egestatem: &  
maledicam benedictionibus vestris.  
Et per Ozeam, Gloriam, inquit, ves-  
tram in ignominiam commutabo.  
Magis certe mirandum, si religionē  
christianam non proculcari vulgo &  
explodi, cum tantum absint sacerdo-  
dotes, primores etiam, vt possint ruz-  
des erudire, aut errantes in viā redu-  
cere, vt vix nouerint nōnulli quare di-  
catur Christiani, quāq; vim habeat et  
ī q̄ posita sit Christiana religio. Quo-  
circa mirandum nō est, tam infirmo  
ac debili capite, egrotare & labare mē-  
bra cetera. Quod nisi in hac religione  
nati & educati essemus, & permultos  
annos consuesceremus, quotus quisq;  
nostrū

nostrum esset Christianus: quotum  
autem quencz à Christianismo vel mi  
næ abducerent, vel præmia auocarēt,  
si in regno impiarum gentium & à  
religione Christiana alienarum, quod  
omen deus auertat, essemus: Cōsuetu  
dine em̄ sumus Christiani magis, quā  
certa firmacq; ratiōe: & cum ore pro  
fiteamur nos Deum nosse, factis, no  
lo em̄ dicere mente, negamus. Quam  
obrem: non docemur: non admone  
mur. Sacerdotes quæ sua sunt querūt,  
non quæ IESV CHRISTI: pasto  
res semetipsos pascunt, non gregem  
dei: lac comedunt: lanis operiuntur:  
quod crassum est, occidunt: quod eg  
rotū non sanant, quod infirmū non  
confirmant: quod confractum non  
colligant: quod abiectum non redu  
cunt: quod perit non quærunt: sed cū  
austeritate & cum potentia eis impe  
rant.

rant. Itaq; dispersæ sunt oues, eo q; nõ  
sit pastor, & factæ sunt prædæ om-  
nibus bestijs agrestibus, demonibus  
inquã & hereticis: quẽadmodũ deus  
per Ezechielẽ quæritur. Quid porro  
miramur non pascere eos qui neq; o-  
ues, neq; pabula norunt, ac neq; quod  
sit pastoris officium? Quid miramur  
non docere eos, qui nunquã ipsi didi-  
cerint? Gubernaculo nauis is demũ  
manũ admouet, qui prius remũ ege-  
rit, deinde proreta fuerit, vndisq; &  
tẽpestatibus iactatus sit, maris deniq;  
& locorũ peritiã habeat. Neq; ductat  
exercitũ, nisi qui prius miles, decanus,  
ceturio, tribunus fuerit. Deniq; textri-  
nã & lanificiũ nulla muliercula exer-  
cet nisi didicerit, Ad sacerdotiũ vero,  
hoc est, ad amplissimũ & difficilimũ  
regimen populorũ prius vel assumi-  
mur, vel aspiramus, quã, sed malo ta-

C

cere

cere, q̄ grauius aliqd dicere. At aposto-  
lus paratos nos vult esse, ad reddendā  
omni poscenti rationē nostræ fidei.  
Verum eniūero pudet dicere, dicendū  
est tamē; longe à profanis hoībns hoc  
seculo sacerdotes sacrarū literarū stu-  
dio & cognitiōe superātur, ita vt val-  
de metuā, ne ad eos proprie ptineat,  
quod per Esaiā deus locutus est: Ecce  
serui mei comedēt, & vos esuriētis; Ec-  
ce serui mei bibēt, & vos sitietis; Ecce  
serui mei letabuntur, & vos confun-  
demini; & q̄ deinceps sequūtur apud  
eūdē prophetā. An em̄ nos patres, mi-  
nus dereliquimus dñm, & montē san-  
ctū eius obliti sumus, fortunēq; men-  
sam posuimus, & libamus sup eā, quā  
illi, q̄bus illa olim deus cōminatus est?  
An nō libamus fortunę, cum fructus  
et emolumenta sacerdotij, non sa-  
cerdotium ipsum cōsectamur? Et vi-  
uat

uat, sentiat, credatq; vt vult quisq;, dū  
cōmoda nostra nobis salua sint, si nō  
verbis, re ipsa certe palā loqmur. Itaq;  
etiā sacerdotiorū noīe antiquato be-  
neficia vulgo appellamus, q̄si q̄ non  
vt aliq; munere fungamur, sed vt bene-  
fit nobis, dentur. Vnde impię illę &  
horrēde voces natę sunt, cū patrono-  
rū, in beneficij loco sacerdotia clienti-  
bus data exprobatū, tū clientū, mer-  
cedis noīe ea vel iactantiū, vel efflagi-  
tantiū. Quo fit, vt omni alia cura ex-  
clusa, nocte dieq; census, decimas, fru-  
ctus, & prædia istorū ipsorū benefici-  
orū vt vocamus, priuatim atq; publi-  
ce, vel in abaco, vel in digitis compute-  
mus: Diuinas vero scripturas procul  
à cubiculis, mēsis, cōtubernijs, collegi-  
is, cōuentibus, & omni vitę nostrę cō-  
suetudine relegauimus. Nec sacra pro-  
phetarū, apostolorū & CHRISTI  
Cñ ipsius

p̄ suis seruatoris nostri verba vnq̄ fe  
re in sermōibus nostris vsurpamus,  
preter, qđ nō sine magno animi dolo  
re dico, ioci gratia, cū maxime videri  
volumus argutuli atq; ridiculi. Quod  
qđ est aliud, p̄ deū, si nō in contēptum  
adducere & vrbane quasi aliud agēdo  
religionē Christianā obliterare: At  
enī sunt etiā, q̄ docēt. Vellem equidē  
cū diuo Paulo, vt omnes docerēt, siue  
prophetarēt: Nā hoc ille verbo vti/  
tur. Sed & pauci sunt hī, & qđ illi do/  
cendo exedificāt, hoc ceteri, q̄ se ad p̄  
dēdas fruges natos esse opinātur, aut  
illi ipsi etiā doctores, impura uita sua  
demoliūtur. Plus mali certe, quā boni  
discit nūc profana & imperita multi/  
tudo à sacerdotibus: dū ad eorū vitā  
mores suos accōmodat, dum eos non  
sāctissime loquētes pariter & agētes,  
& vel à fide CHRISTI p̄sus aliēos  
vel



vel portētoſa ſupſtitione, à ſydeſū de  
monūꝑcultoribus accepta, puritatē e  
ius cōtaminātes, ſtudioſe imitat, & ſa  
cerdotū exēplis ſibi blanditur. Hoc  
ne, inq̄t, Episcopuſ uel ſacerdoſ age  
ret, niſi ſciſet malū non eſſe? Hoc ne  
ageret, niſi certo noſſet, ianeſ fabulaſ  
eſſe inferorū ſupplicia, ac ceſleſtia præ  
mia? aut uero nihil referre ad hęc adi  
piſcenda, & illa euitanda, quomō qſq;  
uiuat? Nec mihi quiſq̄ dicat, nō quid  
faciant, ſed quid doceāt ſacerdoſeſ, at  
tendendū eſſe, Ita quidē magiſter noſ  
ter CHRISTVS præcipit. Sed er  
rat, qſquiſ niſciſit, in iſſ, que ad uitā et  
mores inſtituēdoſ ptinent, maiorem  
longe ad pſuadendū uim habere uitā  
docentis, quā orationē. Non enim ut  
medicuſ non minus ſanat egrotuſ q̄  
egrotuſ ipſe, q̄ ſanuſ, ita et morū uitēꝑ  
formator: hoc eſt, animorū medicuſ.

Sed ualere hunc oportet & admirati-  
oni esse ob excellētes uirtutes, si utili-  
ter alijs medicinā uelit facere. Nam  
qua fiducia ad dilectionē proximi &  
ad subueniendū egentibus alios puo-  
cabit, qui ipse aditu suo miseros & o-  
pē implorantes excludit? in propatu-  
lo aut obuios ne alloquio quidē aut  
aspectu duntaxat humaniore digna-  
tur? q̄q̄ in cōuiuia, largitiōes, & alios  
p̄fanos & minus honestos usus non  
centū sed sexcentos atq̄ etiā mille au-  
reos nūmos expēdit facilius, quā unū  
ad miseri alicuius necessitatē subleuā-  
dā, aut puellę p̄pter egestatē prosta-  
ture turpitudinē prohibendā? Qua  
aut fronte docebit, non esse furandū,  
qui ipse furatur, & p̄ fas nefasq̄ diui-  
tias sibi parat? Quo ore ambitiosus  
cupidos, uinolentos ebriosus, adulter  
scortatores, sūptuosos luxu pditus,  
pcussores

percussores homicida obiurgabit? Au-  
dient profecto: frater, ecce trabē prius  
ex oculo tuo, deinde festucā ex alieno  
eximes. Non tā em̄, quid quisq; dicat,  
q̄ quomō uiuat, vulgo aīaduertitur, p̄-  
sertim in ijs, quorū cū in aperto & in-  
gredito vita omnis exposita sit, illustri-  
ora longe sunt & peccata, & recte fa-  
cta, quā ceterorū, & pro lege in exem-  
plū multorū trahūtur. Itaq; duplici-  
t̄ iij peccāt, sibiq; pariter atq; omni po-  
pulo perniciē, sicut Cęcias nubes, at-  
trahunt. Enimvero cur nā tot ac tāta  
simul mala in gregē & caulas CHRI-  
sti mō ingruunt, q̄ nō eminus prospici-  
mus, verum cominus attrectamus?  
nēpe semētis aquarū inundatiōe corre-  
pta: cuius residuū comedit erugo: resi-  
duum eruginis vastauit bruchus &  
locusta: hęc & antecessit, & seq̄tur pe-  
stis horrēda: nec longe abesse videt̄.

C iij      hostilis

hostilis gladius: vt taceã itestina odia  
ac dissidia, mutuasq; cedēs, neq; sacer  
dotibus parcentes, ac tēpla arasq; dei  
viuentis fraterno sanguine respargen  
tes: Cur nã inquã, hęc mala, priscis il  
lis Ægyptiorũ plagis nõ absimilia, ag  
minatim nũc in nos irruũt? Cur? nisi  
improborũ & officiũ suũ non facien  
tiũ sacerdotũ causa? Ego ne id temere  
dico? An deus ipse p̄ os Micheę pro  
phetę hęc affirmat? Vestri causa, ad sa  
cerdotes inquiring, Syon( horresco di  
cere) quasi ager arabitur, & Hierusalē  
quasi aceruus lapidũ erit, & mons tē  
pli in excelsa syluarũ: hoc est, vastitas  
omnia occupabit. Atq; vtinã ne hęc  
omnia extremum omniũ comitetur  
malũ, mētiũ inquã excecacio & obdu  
ratio? Cuius rei nõnulla iã existere vi  
dentur indicia. An em̄ parũ signi est,  
furere & mente captũ esse egrotũ, vbi  
is non

is nō pharmaca modo salutaria, sed & medicū ipsum quasi pestē quandam abhorret? Quis aut̄ infanus vnquā sic abominatus est medicū, vt nūc nostri homines sacerdotes abominantur? & cū vicia sola sacerdotū detestari deberent, ordinē ipsum sanctissimū execratur, & perijisse cupiunt, tanq̄ non salutis, sed interitus sui authorē & administrū. Cui puerissimē hominū opinioni nos ipsi, patres, nos ipsi, inquā, nostris sceleribus & flagitijs causam prebemus. Non facile enī hæc vulgus disīugit, vt vitiū quidē hominis exosum habeat, ipsum aut̄ hominē diligat: & vitā q̄dem sacerdotū detestetur, ipsū aut̄ sacerdotij nomen functionēq̄ veneretur. Quamobrem si dignitatē vestram tueri, si authoritatē retinere, si honore & admiratiōe affici: si deniq̄ saluos vos, & eos, qui fidei vestre cō-

C v            menda

mēdati sunt, esse vultis, patres amplif-  
simi & sacerdotes dei, candē quā pri-  
sci illi sacerdotes viā insistite, & offi-  
ciū vestrum facite. Publici estis depre-  
catores & aduocati peccatorum apud  
deū: deo & hominū saluti, nō uentri  
uestro, & ijs, qui infra uentrem sunt,  
seruite: leuate puras manus ad Deum  
sine libidine, sine ira, sine odio, sine fa-  
stu, sine auaritia. Sal terrę estis: estote  
condimentū aliorū, & sapiētia uestra  
aliorū stultitiam subleuate: Cauete ne  
insulsi facti, ab hominibus cōculcemi-  
ni, ut nunc fieri incipit. Lux mundi  
estis: Sic luceat lux uestra corā homi-  
nibus, ut uidentes opera uestra bona  
glorificent deū. Ne queso ponatis te-  
nebras lucem, & lucē tenebras, ut Esa-  
iæ uerbis utar. Principes estis & uer-  
nacula lingua nostra appellamini:  
Quantum honore præstatis reliquis,  
tantū

tantū uirtute, pietate, atq; sapiētia pre-  
stare cōtendite: & ne cœci cœcorū du-  
ces sitis, uidete. Apostoli estis & ange-  
li, hoc est legati dei? Ita uos gerite, ut  
non uituperetur ministeriū uestrum:  
& uē vobis si aut nihil, aut somnia  
uestra questuosa, non uoluntatem dei  
populo nūciaueritis. Amici dei estis?  
Redamate amantē, & ut cū eo unum  
sitis omnino studete. Nihil tā charū  
habeatis, quod nō pre deo despiciatis,  
qui prior dilexit nos, & sacro vnige-  
niti filij sui sanguine redemptos si-  
bi adiūxit. Diligite inter uos. Hoc enī  
uel precipuū est discrimen inter ami-  
cos Dei, & seruos diaboli. **CHRISTI**  
estis? uidete ne quid indignū admitta-  
tis hoc tanto nomine, neue spiritum  
sanctum, quo uncti estis, impura uita  
uestra propellatis. Non enī ille habi-  
tat in corpe peccatis subdito. Dispē-  
satores

satores estis myſteriorum Dei? Ita  
diſpensate, uti exactā rationē redditu  
ri deo ſcrutatori mentiū, & non mo  
do diſſipati, ſed etiā deſoſſi talenti no  
mine pœnas daturi. Habetis clauſ re  
gni cœleſtis? Cauete ne eis abutami  
ni et ne vꝛ ſit uobis ſi & ipſi nō igredi  
amini, & alios non itromittatis. Cla  
ritatē, quā à patre accepit, dedit nobis  
CHRISTVS ꝛ uidete ne eam tene  
bris uitiōrū & ignorātię obſcuretis.  
Paſtores eſtis? Cognoscite oues ue  
ſtras; uocate nominatim; exēplo præ  
cedite; paſcite ſalutaribus ſacrę ſcriptu  
rę pabulis; à noxijs vꝛo arcete; à lupo  
rū & urſorū ui & inſidijs defendite;  
medemini languidis; ſcabiōſas & lue  
infectas caulis eijcite; errātes quęrite;  
inuentas humeris veſtris ad ouile re  
portate, parati vitā, nedū bona iſta ex  
terna & fortunę pro ouibus veſtris p  
funder e



fūdere, vt cū venerit princeps pastor,  
percipiatis immarcescibile glorię co  
ronā. Dij estis: neminē ledite: Bene  
facite omnibus, quibus potestis: hoc  
enim dei propriū est: Sancti, puri, p  
fectiꝫ estote: & quantū homini an  
tecellit Deus, tantū vos ceteros homi  
nes sanctimonia vitę atq; perfectiōe  
anteire satagite. Alię enim sunt pri  
uatorū, alię sacerdotū virtutes. Nam  
priuato homini propemodū sat est,  
malum non esse, aut aliquatenus certe  
bonū esse. In sacerdote vero, & eo, q  
publicā personā gerit, peccatū est, si  
non multo anteat virtute multitudi  
nē: Quem trahere ceteros à vitijs ad  
mediocritatē excellenti virtute oport  
et. Deniq; Episcopus es, hoc est, spe  
culacor domus Dei, & princeps sacer  
dotū: Quę sacerdotū sunt p̄ alijs cu  
rato: Habes preterea sacris initiandi,  
&

& ius dicendi potestatem: vigila: pre/  
uide procul imminencia mala, & pre/  
mone eos, qui intus sunt: ne si quo in/  
opinato casu pereant, sanguis eorum  
de manu tua requiratur. Doce igna/  
ros: exhortare ignauos: errātes argue:  
hereses euelle. Memento in cōsecratio  
ne tua non codicillos rationū accepti  
& expensi, non syderū inter se descri/  
ptas habitudines & aspectus, non cō/  
stitutiones regias aut imperatorias,  
verū diuinæ legis volumē capiti tuo  
esse impositū: vt in eo mediteris die  
ac nocte, neq; recedat id vnquā ab ore  
& à corde tuo. Metue horrendas il/  
las Dei apud Ozeam minas: Quia tu  
repulisti scientiam, repellam te, ne sa/  
cerdotio fungaris mihi. Que mune/  
ris tui sunt, pleraq; per te ipse agito:  
Quoniā vero nō potes omnia atten/  
de à quibus vices tuas obiri velis: vt ij,  
siue

siue iudicij exercendis preerunt, iuste,  
paciēter, & sine cōperendinationibus  
iudicent: non ira, non cupiditate, non  
odio, nō gratia cuiusq̄, non spe, non  
metu à recto dimoueantur: queq; in  
alijs coercent, eorū ne suspicionē qui/  
dem falsam in se hærere patiantur: si  
ue doctores & pastores futuri sunt,  
potentes sint verbo atq; opere, popu/  
lūq; non fabulis atq; somnijs suis one/  
rent, nō superuacaneis quæstionibus  
dissidia parientibus distineant: sed re/  
cta & necessaria recte oportuneq; do/  
ceāt, & solida fidei religionisq; Chris/  
tianæ fundamenta in animis imperi/  
tæ multitudinis iaciant, in hisq; di/  
gna deo ædificia exædificent. Heresi/  
bus etiam atq; etiam obsistāt, paruus/  
losq; Babylonis ad petram allidant.  
Sacramentis ne abutantur, & alijs re/  
ctum eorū vsum vt ostendant. Itaq;  
manus

manus nemini cito imposueris, neq;  
aut necessitudine, aut precio, aut obse-  
quio, aut gratia cuiusq̄ adductus sacer-  
dotio quempiam initiato, aut institui-  
to. Sed explora diligenter, quos in so-  
cietatem tanti oneris assumas. Tibi,  
non ihs, qui patroni vocatur, pro om-  
nibus dependendū est: Tu caput es,  
ceteri sacerdotes membra tua sunt, &  
quidem de ihs membris, quibus aliquē  
te honorem impertiri equum est: fra-  
tres tui sunt, non serui: adiutores, non  
uilia mancipia. Tu pastor es, illi canes  
tui sunt, custodientes ac defendentes  
gregē. Vide ergo ut sagaces, impigros  
robustos, feroces, ualentes latrare, &  
qui amicū ab inimico discernere no-  
rint eligas: & quidē à teneris vnguicu-  
lis recte atq; ordine educatos & insti-  
tutos. Eam porro institutionem pue-  
rorum & adolescentiū, ut recta sit, &  
pietatem

pietatem timoremq; dei cū literis con  
iunctum habeat, ad te imprimis per  
tinere existimato. Caue ergo summo  
studio, id quod adhuc negligi video,  
ne pueri atq; iuuenes ad hæreticos in  
stituendi mittantur: vnde boni quidē  
nescio an quicq; referāt, mali certe plu  
rimum referunt: néue pædagogi mu  
nus obire quispiam neq; in publico  
ludo, neq; in priuata domo permitta  
tur, nisi examinatus & p̄batus ab ijs,  
quos ad eam rem delegeris. Lectione  
item librorū ab hæreticis conscripto  
rum omnes prorsus, paucissimis exce  
ptis qui præstanti doctrina, & stabili  
sunt iudicio, summa contentione pro  
hibeto. Nam sermo eorū serpit vt cā  
cer & suauitate quadam populari cō  
ditus, facile incautos occupat & infi  
cit. Cogita nō tua vnus causa tibi tā  
tas copias atq; facultates datas, seu ve

D rius cō/

rius cōcreditas esse. In vicia sacerdotū  
itemq; p̄fanorū hominū diligent̄ in-  
quirito, ac in præfractos quidē acri-  
us, ī alios v̄o lenius aniaduertito: hos  
baculo, quē geris, illos gladio, ferito.  
In ebriosos, in helluones, in scortato-  
res, in adulteros, in concubinarios, in  
iniustos, & oppressores tenuiorū, in  
homicidas, in q̄druplatores & fene-  
ratores, & in oēs deniq; flagitiosos &  
sceleratos, qui palā peccant, & admo-  
niti nō resipiscunt, neq; ecclesiā audiūt  
terribilia illa fulmina in tartarū præ-  
cipitantia in primis vibrato, & perin-  
de ac putrida membra à reliquo cor-  
pore eos resecatō, ne pars sincera tra-  
hatur, vt inquit poeta quidā: Videto  
ne q̄s re sua abutatur, quod quidē etiā  
impij hoīes & idolatrē reipub; pluri-  
mū interesse iudicarūt: Abutitur autē  
nō minus q; sordide recōdit, quā qui  
prodige

prodige dissipat. Sis deniq; p omnia,  
q̄lē diuus Paulus vult esse Episcopū.  
Abbas es? pater igitur non dominus;  
curator nō dilapidator bonorū cōmu  
niū; curā habe eorū, q̄s in filiorū loco  
habere debes. Vide vt ij omni alia cu  
ra vacui, soli precatiōi & meditatiōi  
rerū diuinarū insistant. Archidiaconus  
hoc est, oculus es Episcopi? vide ne  
lippias, neue vbi opus nō est cōnieas  
visita p te ipse, cū tua proprie ad mu  
nus istud delecta sit industria: Scruta  
re non qd auferas, sed quid emendes:  
cerne acutum & visa refer Episcopo:  
Canonicus es? Consiliarius es Episco  
pi. Attende ergo, vt ei consilio tuo in  
regenda ecclesia, cui seruis, presto sis,  
cessantē excites, vtq; id sis, qd diceris,  
hoc est, vt tota vita tua recta & ad re  
gulā CHRISTI apta sit. Paroecus  
es? hoc est, pastor in parte gregis, &  
D ij vicarius

vicarius Episcopi: pasce, & pasce p te  
ipse, nō per vicarios. Memento te nō  
tui cōpēdij, sed ouīū causa ad fūctiōem  
istā vocatū esse, de qua exactā deo ra-  
tionē redditurus es: vide ne tibi dica-  
tur, o pastor, & idolū, & derelinquēs  
gregē: Vis aut paruo negotio multū  
opeprecij facere in vinea domini, cui  
us etiā vinitor es? Scholarū & puero-  
rū recte instituendorū precipuā curā  
habe. Deniq; q̄ Epō dicta sunt, eadē  
pleraq; tibi dicta esse existimato. De-  
canus es? Prepositus? Scholasticus?  
Cantor? Custos? Prior? siue quid ali-  
ud? officiū tuū noscito, & facito. Pri-  
uatus presbyter es? da operam ut pur-  
us & ablutus à sordibus cōsciētig, ad  
tremēda illa sacra pagenda accedas: nō  
ex cōsuetudine, aut quēstus gratia, ne  
CHRISTVM vendere videare: sed  
ut deum tibi atq; multitudini placat-  
urus



*Dignu scrib*

turus. A l extremū, q̄cunq; diceris no-  
mine, sacerdotē te esse memēto. Cura  
igitur, ut non magis noīe, quā re sacer  
dos sis: utq; nō ex uestitu & raso uer  
tice, uerū ex doctrina, moribus, ac to  
tius uite consuetudine omnes te sacer  
dotē esse agnoscant. Refelle, re nō uer  
bis, odiosum illud uulgi dictērium, ne  
dicaris porcus altilis. Memento te  
**CHRISTI** personā gerere. Ille iusti  
cia est, modestia, tēperantia, sobrietas,  
veritas, sapientia, constantia, pax, cha  
ritas, benignitas, & summa bonitas.  
Hec eadem tu pro viribus tuis esse cu  
ra: Mitis est, & humilis. Disce ab  
eo, Humiliari sub potenti manu dei:  
Monachus es: sede solitariū & tace,  
secundū dictū Hieremig. Mortuus es  
mūdo: ne te implicēs mundanis nego  
tijs: Deplora, & sine simulatione qui  
dem, peccata tua atq; populi: terrenaz

Dij rumq;

rumq; rerū cura abiecta, in cœlestium  
contemplatione totus esto. In vniuer  
sum aut omnes, q; spiritualiū nomine  
appellamini, hoc vnū curate (ne mul  
tis vos onerē) vt ve sitis qd dicemini.  
Reijcite curā carnis, spūalis rebus so  
lis vacate. Vacate in q̄ et gustate, q̄ sus  
citis ē dñs, omnibus q; diligunt eū, &  
in spiritu & veritate adorant. Cogno  
scetis aut cū aliūde, tū ex diuo Paulo  
ad Galatas scribente, q̄ sint opera car  
nis & qui fructus spiritus, quiq; finis  
vtrorūq; vt illa quidē vitetis, hos ve  
ro confectemini. Satis indultū est car  
ni: satis datum mundo, satis diabolo.  
Redite ad cor. Deum mō, deiq; ima  
ginē, hominē in quā, vere & ex animo  
diligere incipite, iā omnia feceritis, &  
legē CHRISTI impleueritis. Sed ad  
vos iā venio parres amplissimi, q; huc  
ad cōsultandū in cō. nune ijs de rebus,  
quæ ad

que ad fidē pietatēq; Christianā, & sacerdotij dignitatē tuendā p̄tinent, cōuenistis. Curate, elaborate, perficite, a vobis ipsis exorsū, vt ne quid in vllō sacerdote, quod ad officiū eius p̄tineat, regratur. Videte etiam atq; etiā, ne ridiculę sint vestre istę synodi, in quibus verborū satis, factorū preter cōtributiones, nihil esse vulgo iactatur. Prouidete in primis, ne q̄ similtates, cōtētiones, & factiōes in collegijs, siue vt vos vocatis capitalis vestris, & in omni cōtū sacerdotū existant: & ad fraternū amorem potius q̄ ad fratris nomē aliquid adijcite. Caeteros porro pre vobis ne cōtēnatis. Cauete ne polluti sint cōtū vestri, & ne malum vestrū in domo dei repiatur, vt per Hieremiā deus loquitur. P̄cidite luxū, nequitia, & auaritiā sacerdotū. Concubinos, ebriosos, negociatores, &

D iij            ociosos

ociosos sacerdotes seuerè coercete.  
Ambitionē maximā sacerdotij pestē,  
radicitus euellite. Quàm vellē autē ego  
omnesq; boni, vt eligendi & cooptā  
di in sacerdotiū potestas libera eccle/  
sijs atq; collegijs restitueretur. Neq; sa  
ne recuperabit quod multi graues viri  
sentiūt, pristinā dignitatē sacerdotiū,  
neq; religio Christiana reflorescet, do  
nec ad vnus alicuius hominis arbitriū  
honores ecclesiastici cōferūtur. O quā  
laudē atq; gloriā, et vero premiū apd  
deū mereretur, q. quas aliorū ambitio  
& cupiditas infregit electiones & co/  
optationes, studio, cōsilio, & authori/  
tate sua restitueret. Sed hoc, dum prę/  
sens rerū status manet, optare magis  
licet, q̄ sperare. At vos patres, provide  
te serio p̄ vos IESVM CHRISTŪ  
crucifixum, & vestrā salutē oro, obse/  
cro, & obtestor, provide inquit, vt  
verbum

verbū dei purè & castè ubiq; in dice-  
cesibus vsis omni populo, neq; schis-  
maticis, neq; iudeis (de quibus nō pau-  
cos ad fidē vltro accedere modo vides  
mus) exceptis & exclusis, enunciatur.  
Inite rationē q̄nam mō p̄miscua mul-  
tudo in vrbibus, oppidis, atq; pagis  
ad freq̄ntandas, festis diebus dūtaxat,  
sacras concioēs vel blandè alliciat, vel  
imperiosè cōpellatur. Curate vt confi-  
ciant̄ edanturq; doctorū theologorū  
iudicio formulę et p̄scripta cōcionā-  
di, propter indoctiores sacerdotes: vt  
sciāt, quid & quomodo doceāt. Ac ne  
q; indocti sint, in posterū caueat. Audi-  
erint, legerint, didicerint, nouerint vel  
p̄cipua religiōis nostrę capita, pri-  
usq; ad sacerdotij ordinē, honorē, cō-  
modaue admittantur. Nec deinde aut  
turpiter ociosi desideant, aut indecorē  
negotiosi satagant. Sed scrutent̄ scri-  
pturas

pturas assiduo: q̄s pinde ac vngues p̄.  
prios cognitas habere debent. Nam si  
turpe esse iudicat scriptor quidā cla-  
rissimus homīe libero ignorare ius ci-  
uitatis suę: Quid nos dicemus de illis,  
qui q̄si regula omniū esse debent, cuius  
modi sunt sacerdotes, si nihilo melius  
ij, q̄ quiuis de media plebe nouerint ci-  
uitatis suę, quę eadē dei est & sancto-  
rū angelorū, leges? & quidē eas leges,  
è quibus salus & omniū & singulorū  
pendet. Cuperē aut̄ maiore, quā nunc  
habetur, scholarū cū priuatarū, tū pu-  
blicarū rationē duci: vt ita institueren-  
tur adolescentuli, & cū uerborū, tū re-  
rū cognitiōe instruerentur, ne illotis,  
quod aiūt, pedibus ad sacrarū literarū  
cognitionē adirent. In hoc em̄ cardo  
rei vertitur: hoc plurimū momēti ha-  
bet ad statū religiōis vel euertendū v̄  
stabiliendū. Quod vidit profecto Iu-  
lianus


lianus impator apostata quēadmodū testifi-  
caſ Gregorius Nazanzen<sup>9</sup>, cū euerredī Chri-  
stianismi causa, scholis publicis, et liberaliore  
hac institutiōe Chriānis interdixit. Sed vbe-  
rius fortassis aliquando ea de re cōmentabi-  
mur. Nūc ad finē nra festinat oīo, quādo &  
me vox parit atq; latera iā vt videtis, defici-  
ūt, & vos credo audiēdo me defatigati estis.  
Hoc tantū addo: Quādoqdē diuinitus est  
īsta vra dignitas, p̄s: diuino munere vindic-  
cet̄ necesse est. Ad deū igif cōfugite: deo sup-  
plices p̄cūbite: reddite altissimo vōta vra: in-  
uocate eū in die tribulatiōis, sed ex aīo: Erus  
et vos quēadmodū p̄ os Dauidis pollicit<sup>9</sup> est  
Ita fiet maxie, vt rapaces ac temerarias p̄fas  
norū hoīm, q̄ maximē p̄pinqū vri sunt, q̄s  
vōo malo de p̄rimonio Chri saginatis, ma-  
nus à facultatibus, bonis, ac ceruicibus vris  
depellatis, facili<sup>9</sup> atq; certius multo, q̄ aut le-  
gū p̄tificiarū simul & patriarū vindicta &  
seueritate, a ut largiēdo & indulgēdo ipsis, q̄  
poscūt: & nō mō immunitatē, sed authorita-  
tē vram, dignitatēq; sacerdotij p̄ oīa recte  
tueamini: Qd̄ Chrs ipse sūmus sacerdos &  
author sacerdotij vri p̄stare vobis dignet̄, q̄  
cū spū sancto in glia est dei p̄ris in secula se-  
culorum, AMEN.


Crac. per Hier. Vie. M. D. XLII.



XVI, 42









XV

BR

XVI WIEK

BROSZURY





